

2

AD
PANEGLYRICUM
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIIDERICO
VVILHELMO II.

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
DUCI BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ,
JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM
ET VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA CROSNÆ ET
SWIBUSII, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI
HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHEN-
ZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENSBURGI, DOMINO
RAVENSTEINII, LAUENBURGENSIS
ET BOUTOU &c.

ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HÆREDI,
ET ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ RE-
CTORI MAGNIFICENTISSIMO,
PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMEN-
TISSIMO

IPSO NATALI DIE, HOC EST IV. AUGUSTI HORA X.

a
GENEROSISSIMO DOMINO
CAROLOERNESTO Ode GRUMKAU
EQVITE POMERANO
DEMISSISSIMO CULTU DICENDUM
SUMMOS DUCATUS MAGDEBURGICI
MINISTROS, ILLUSTRISSIMOS COMITES ATQVE
BARONES, ET ACADEMIÆ AC CIVITATIS ERUDITOS
SINGULOS, TAM HONORUM AMPLITUDINE, QVAM
GENERIS NOBILITATE INGENIIQVE CULTURA
CONSPICUOS, QVA DEGET HUMANITATE
INVITAT

JOHANNES WILHELMUS BAJERUS,
D. PROF. PUBL. CONSIST. ELECT. CONSIL.
ET h. t. ACADEMIÆ PRO-RECTOR.

HALÆ, Literis SALFELDIANIS.

68

PANGEYRICUM OMNIA DOMINA PRAECEPTE.

СИЛА ОД

ОДИНОЧКА

ГРАДУАЦІЯ
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО УНІВЕРСИТЕТУ



Cce iterum ad solennitates & gaudia
publica vocamur! Calendis Julii nata-
lem Serenissimi Fundatoris Academiæ,
FRIDERICI III. Electoris Bran-
denburgici Potentissimi, Domini no-
strī Clementissimi, simul natalem ipsius
Universitatis hujus, faustis non minus successibus,
quām splendido apparatu inauguratæ, læti celebra-
vimus. Hinc promotiones Virorum, in quatuor Fa-
cultatum studiis præstantium, ad honores supremos,
amplò satis numero, inter applausus festivos fecutæ:
Mox Privilegiorum liberalissimorum promulgatio
singulare decus Auditorio novo magnificè exornato,
& felix auspiciū dedit. Jam verò Rectoris nostri
Magnificentissimi, Serenissimi Principis ac Domini,
Domini **FRIDERICI WILHELMII**, Mar-
chionis Brandenburgici & Electoratus Hæredis Cel-
lissimi, Domini nostri Clementissimi, Dies Natalis
imminet, cuius observantiam Pietas ipsa & felicitatis
nostræ cura ac studium nobis quām maximè com-
mendat. Ego quidem, quem, DEO dirigente, Se-
renissimus ac Potentissimus *ELECTOR*, non so-
lùm ad munus Professoris clementissimè vocavit, sed
etiam charissimi Filii Principis vices in regendâ Aca-
demia

:():(- 2

demia mihi benignissimè imposuit; quantum debeam, facilè intelligo; pro vitâ & in columitate utriusque supremo Numinis gratias devotas ago, ac pro faliute tantorum Principum, Dominorum meorum, vota & preces facio studiosissimè: fidelitatem, obsequium, industriam probare omni nisu contendō. Sed nunc publico nomine loqui jubeor, & in societatem lætitiae communis, exercitiumque ac signa devotionis totam Academiam, & quotquot hic loci eam favore suò aut amore proseqvuntur, voco atque invito. Scilicet cum in Serenissimo Electore ac Domino nostro, post DEUM felicitas Status nostri haud dubiè consistat, quid jucundius nobis & in res nostras salubrius accidere poterat, quam eò sospite sospitem nosse illum, in quo omnem curam tanti Parentis stare novimus, Quem unicum in deliciis unicis, certè maximis, habet, cuius aspectu, alloquio, blanditiis, recreatur, in quo spem propagandæ gloriæ suæ Domusque Serenissimæ fœcundam concepit, cuius incrementis ac flore non tantùm oculos, sed mentem pascit lavavissimè. Hic enim ille est, quem glorissimæ memoriæ Princeps, FRIDERICUS WILHELMUS I. videre optaverat, nepotem adeò defideratum in arctissimos amplexus recepturus: sed fato præreptus Nominis sui Hæredem obtinuit, quo se FRIDERICUS III. Dominus noster optimi Parentis mortem lugens, tanto efficaciùs consolatur, in quem virtus ac felicitas a vita non minùs, quam Paterna, DEO dante derivaretur. Hic ille est, quem Serenissima Mater, SOPHIA CAROLA, Potentissimi Electoris ERNESTI AUGUSTI Episcopi Osnabruggensis, Ducis Brunsvicensium & Luneburgensium Celsissimi Filia chrarissima, Domina nostra

stra Clementissima, feliciter enixa jam ex voto suo adolescentem, & quotidiana intimæ delectionis argumenta suppeditantem vel ipsis oculis chariorem habet. Et jam apparent in FRIDERICO WILHELMO II. magnorum conatum & secutorum successuum feliorum præfigia, in quo sangvis spirituofus vigorem corporis, alacritatemque animi Principum generi congruam ostendit; cuius sagacitatem, tenerâ ætate major, in admirationem trahit omnes, quotquot in conspectum ejus aut notitiam actionum admittuntur: cuius blanditiæ gratiam spirant, quæ summarum dignitatum ornamentum est, & in animos subditorum efficaciter influit; simul autem seriis rebus intentæ cogitationes, gravitatem, summi fastigii præsidium pollicentur. Hinc Academia nostra Rectore hoc Magnificentissimo donata, decus suum fulgidissimum non domesticis modò aut vicinis, sed exteris remotisque ostentat: hinc eadem, quemadmodum à PARENTE ELECTORE Potentissimo, sic à PRINCIPE FILIO Serenissimo incrementa majora, firmitatem, incolumentem, *ἐν περιέξιαν καὶ ἐν πυχίᾳ*, tanquam per organa summi ac benignissimi Numinis, exspectat. Magnum videlicet beneficium DEI est, quando in societate ordinata, & sub Magistratu legitimo vivimus, quando tutelâ adversus hostes, legibus adversus confusiones atque *ἀταξίαν*, judiciis suum cuiq; tribuentibus adversus injurias aliorum, nitimur ac munimur: quando DEUM religiosè & pro ratione revelationis & conscientiarū colere possumus, & in Ecclesia *ἐν χριστῷ καὶ τῷ πνεύματι* omnia fieri jubentur: Sed majus beneficium est, si quando mortalitatis legi tam severæ, atque omnem exceptionem excludenti, solatum ex hæredibus Imperantium,

rantium, quos naturæ auctor largitus est, si præter
sanguinis ac prosapiæ propagationem, ipsarum quo-
que virtutum germina in his apparent, qui in regnan-
di sortem geniti, aut spem aut metum subjectorum
hominum ac populorum ipsorum, excitant, alunt,
sustentant. Nunc ergò, ô Noſtri, videte iſta & ad
animos vestros revocate, qui FRIDERICUM
WILHELMUM II. Electoratus Brandenburgi-
ci Hæredem, Rectorem noſtrum Magnificentissi-
mum, aut corām vidistiſ unquam, aut in dolem ejus
tam ſublimem, educatione ſolicitousmā roboratam,
obviis paſſim indiciis cognovistiſ. Fortunata m
agnoscite Academiam, cui hoc fidus affulget: ſed ad
DEI bonitatem hoc, quicquid eſt, pii animis ac reli-
gioſis referte. Hic totius universi Rector ac Domi-
nus, cūm omnia ſapientiſimē moderetur, non ea-
dem beneficia regionibus ac civitatibus omnibus lar-
gitur, quibus nos afficit; ſed nec ſuperbiendi, verūm
gratias agendi; non ſecuritatis, ſed ſolicitudinis, ad
rectum uolum tanti beneficij in ipſa lætitia noſtra, ma-
teriam præbens ampliſimam. Celebra bimus itaque
die crastinā, quæ quarta Auguſti eſt, DEO dante, ori-
turum Nataleſ ſeptimum Serenifimi Principis,
FRIDERICI WILHELMI ſic, ut ſacra faciamus
DEO ſoſpitatori, qui Potentifimi ELECTORIS
Noſtri & CONJUGIS ELECTORALIS dulciſi-
mæ Amorem ac delicium, Brandenburgicæ Domus
ornamentum & fulcrum, præſidium noſtrum &
ſpem tot Provinciarum, hactenū conservavit, &
crescentibus annis cum virium animi corporisque au-
gmento, noſtræ quoque felicitatis progreſſus ſpera-
re jubet. Non equidem in discernendis mensibus
natalium illuſtrium incerta aut ſuperstitioſa even-
tuum

tuum vaticinia quæremus; quando tamen natalem
Rectoris nostri Magnificentissimi, qui in Augusti
mensis initium incidit, intuemur, facile in memori-
am redit memoria inclytissimi quondam Principis
JOHANNIS, quem Brandenburgicæ Domus Linea
Marchica, communem Parentem suum, seu stir-
pem, veneratur, cui majestas personæ *Magni* nomen,
eloquentiæ decor, *Ciceronis* appellationem contulit;
qui seculi xv. Anno LV.d. II. Augusti in lucem editus,
jam anno ætatis XI I I. militiam sectatus, fortitudinis
documenta dedit; Anno vigesimo ætatis, cùm bel-
lum acerrimum & Germaniæ imprimis periculosem,
inter **MATTHIAM** Hungariæ, **CASIMIRUM**
Poloniæ, & **ULADISLAUM** Bohemiæ, Reges, de
dominio Ducatum Silesiæ contendentes exarsisset;
ipse cum **ERNESTO** Saxoniæ Electore mediatoris
partibus suscepit, plurim horarum sermone gravi
exulceratos & in mutua damna ruituros animos ita
flexit, ut pacem & amicitiam procuraret: miranti-
bus qui præfentes aderant, viris gravissimis, atque
hanc causam rectius ac felicius geri non potuisse, ju-
dicantibus. Idem Electoratus fastigium annos
XXXI. natus conscendit: denique exente Seculo XV.
fundandæ Academiæ Francofurtensis ad Oderam
Privilegia impetravit, trium Filiorum Principum, to-
tidemque Filiarum Parens factus, immortalem sui
nominis & rerum gestarum gloriam posteris, terris-
que Germanicis & aliis prædicandam reliquit. No-
bis Deus orandus est, qui **FRIDERICUM WIL-
HELMUM** Nostrum, non tantum Serenissimis
Parentibus, Potentissimo Principi Electori **FRIDERICO III.** Domino nostro Clementissimo, E-
jusque Conjugi Electorali Serenissimæ, Dominæ no-
stræ

stræ Clementissimæ, salvis & in extremam senectutem incolumentibus, superftitem concedat, sed exemplo Paterno Avitoque ac cæterorum Majorum, præsertim hōc ipso Menſe geniti Brandenburgensis Marchicæ Lineæ Satoris, atque Electoris augusti D. JOHANNIS, bello ac pace florere, turbidis Germaniæ Europæque rebus quām optimè consulere, tot Provinciarum ac Speciatim hujus Academiæ statum prosperum ac tranquillum videre & promovere, hinc longinquo semperq; illibato gaudio frui, & Natalem hunc multò pluribus annorum decuriis ad feram canitiem reversum, integris viribus inque plenā felicitate celebrare jubeat: nobis autem sub his Principiis, Religionis, honestatis, justitiae, omniumque bonarum artium & scientiarum culturam, declinatis aut superatis obstaculis, vigen-tem atque abundantem indulget. Quod ut fiat, non hodiè solum sed secuturò quovis tempore cavenda nobis sunt omnia, quæ DEO diſplicent, quæ Legibus ac statui nostro repugnant; id ex adverso conandum, ut ad DEI gloriam secundum SERENISSIMI ELECTORIS mandata, cum ejusdē & Serenissimæ CONJUGIS, ut & RECTORIS Noſtri M A G N I F I C E N T I S S I M I, actotius celſiſſimæ DOMUS BRANDENBURGICÆ debitâ veneratione, officium suum quisque faciat. Sic sociatis animis ad communia commoda tendamus ac pertingamus. Ita in Domino gaudeamus! Ita DEUS nobis faveat omnibus! Sed prolixius omnium vota folenni Oratione ipso Natali die *crastino horā antemeridianā decimā* exponet Generofſiſſimus Dominus CAROLUS ERNESTUS de GRUMKAU, Eques Po-meranus, cui, cùm constitutum fit per gentis suæ exempla decurrendo ad immortale decus contendere, præclaræ & præstantissimæ in-dolis suæ vires non alio in campo rectius le periclitari posse arbitratus est, quām laudes Summi PRINCIPIS & Brandenburgicæ Gentis canendo ac pro ejus incolumitate nuncupando vota religiosissima. Præterquam enim quod Serenissimo atque Potentissimo ELECTO-RI, infinitis nominibus, ob ingentia in ſe & familiam luam profecta beneficia ſe obſtrictum eſſe intelligit, tenerrimus etiam quo in Juven-tutis Principem rapitur affectus ad hoc eum impellit, haud oblcuro omne, non tantum doctrina & prudentia, ſed & fide in Branden-burgicam gentem, cum Illustri Parente, cundem dubiā aliquando concertaturum palmā. Ad hanc igitur benevolē audiendam, omni-um ordinum ac dignatum Eruditos, quos tum Academia, tum no-stra civitas tenet, quā par erga quemque eſt, humanitate invitamus, cultum, officia & studia nostra ſingulis omnibusque prom-pta ac parata pollicentes. P. P. d. III. Auguſti
A. C. ob lbc XCIV.